



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De morte Gregorij Armeni, quem mater defuncta vocavit, cap. 34.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

**F**emina quædam religiosa de Armenia, cum filio & filia veniens Coloniã, in ecclesia maiori ieiunijs & orationibus Deo seruiebant: vocabatur autem filius Gregorius, homo simplex & sacerdos: nomen autem sororis Maria. Anno autem præterito, matre defuncta, infra tricenarium etiam Gregorius ad extrema deductus est, cumque soror coram illo sedens lachrymaretur valde, ille consolans eam ait: Noli flere, quia mater nostra vocat me. Et illa; Vbi est? Respondit; Ecce coram me stat, sicque anima illa sancta, carne soluta est: corpus verò eius, cum multo honore, inter canonicos eiusdem ecclesiæ sepultum est. **A POLLON.** Valde mihi videtur esse perfecti, quorum animæ carne resolutæ, mox ascendunt ad requiẽ. **CÆSARIVS:** Verum dicis, neque hoc te lateat, quod valde parua sũt iudicio hominũ, quæ perfectos, maxime claustrales, ab introitu glorię quãdoque retardant.

*Peccata  
minuta  
religiosos  
sape impe  
dire nere  
Etã hinc  
in cœlum  
euolens.  
\* al Tim-  
na.*

**C**onuersus quidam de \* Cynna, quæ domus est ordinis nostri, cum die quadam missus ab Abbate suo, nauigio transfret per fluuium Albim, qui fluit per Saxoniam, nauta ab eo nauum requisit; qui cum diceret, nihil se ad manũ habere de pecunia, respondit ille; Date mihi pro pignore cingulum vel cultellum vestrum. Non possum, inquit, carere his, & adiecit: Ego promitto vobis cum ordine meo, quod dimidium denarium vobis remittam, & dimisit eum nauta. Recedens ab eo Conuersus, eo quod res modica videretur, promissum paruipendit, nihil remittens. Non multo post infirmatus, cum omnibus qui aderat mortuus videretur, anima egressa, cum ad requiẽ ascendere vellet, prædictũ dimidiũ denariũ, cuius in confessione nõ meminit, ante oculos habebat, qui adeo creuit, vt mundo maior videretur: cumque sursum nitenti semper obsisteret, neque aliud esse, quod impediret, ad angelorum petitionem permessa est redire ad corpus. Mirantibus cunctis, visionem retulit, & missus est ab Abbate nautę integer denarius, sub  
omni